Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 707
Quelle:
Copyright:

de ſoliloquiis bernhardi. Atque hic comparet Particula illa, quae in Edit. *Prooemium* inſcribitur, incipitque: *In lacu miſerie et in luto fecis* &c. Sed in *Codice* continuo adtexta eſt ei alia Particula, quam in Edit. non reperio, quaeque totius Tractatus *Epilogus*, et non niſi per Librariorum errorem cum *Prologo* conjuncta fuiſſe videtur. Cum enim *Tractatus* ab Allegoria Animae ad montem Domini aſcendentis et Corpus ſuum interea inferius expectare jubentis incipiat, dicaturque in fine *Cap.* penult. *Sed jam aſinus* (corpus) *revocat et pueri perſtrepunt*, atque ideo Anima *c.* ult. ſupremum veluti vale Deo faciat, non inconcinne ea ſequuntur, a quibus Particula noſtra inchoat: *Surge et exi hinc. Domine bonum eſt nos hic eſſe. Quo ibo a facie tua? Exi hinc et redi ad egrotum tuum, corpus tuum, quod tibi commiſi cuſtodiendum et obſeruandum. Jam tabeſcit. Infelix ego homo quis me liberabit* &c. Probe iſta conſonant cum iis, quae Tractatus initio habentur: *Revertemur enim et heu revertemur quam citiſſime*, vel, ut legit Noſter: *Reuertemur enim et heu quam cito.* Notet porro Lector, Particulam hanc nec T. IV. *Biblioth. Ciſterc.* cui inſerta ſunt *Guillelmi* Opuſcula, comparere. Finit illa: *Patientes eſtote usque ad aduentum meum. Vsquequo Domine? Moyſes et Aaron ite ad onera veſtra.*

IV. *fol.* 59. p. 2. *Sermo pulcher.* In illud Iſa. c. 66. 13. *Sicud mater conſolatur filios ſuos ita conſolabor uos.* Initium: *Magna eſt ſuper nos fratres kariſſimi pietas conditoris noſtri, qui multo ampliori affectu nos diligit quam aliqua mater filium ſuum* &c. Deinceps de 7. Generibus lacrimarum, de 15. fluentibus de ubere humanitatis &c. Finis: *ſed fruamini cum gaudio magno in preſenti per gratiam et in futuro per gloriam. Quod nobis preſtare* &c. Autorem ignoro.

V. *fol.* 63. p. 2. *Sermo bernardi de natiuitate domini noſtri ihesu chriſti dilecti paruuli.* Initium: *Grandis quidem eſt dilectiſſimi hodierna dominice natiuitatis ſollempnitas* &c. Eſt Sermo I. edit. *ſuprac.* T. III. *col.* 776. Addam et Sermones in *Cod.* ſubſequos: *Item ſermo bern. de natiuitate domini.* Initium: *Duo quedam rerum genera* &c. Eſt Sermo III. *col.* 781. *In Circumciſione domini ſermo bernhardi.* Initium: *Audiuimus paucis uerbis expreſſum* &c. *col.* 788. *Sermo primus de circumciſione.* Initium: *Ab inicio deus modum acceptat* &c. Eſt Sermo II. *col.* 790. *Sermo bern. de reſurrectione chriſti.* Initium: *Vicit leo de tribu iuda. vicit plane maliciam* &c. *col.* 892. *Idem de eadem reſurrectione.* Initium: *Accepimus ab Apoſtolo habitare chriſtum* &c. *col.* 899. *Sermo bernhardi in penthecoſte.* Initium: *Celebremus dilectiſſimi hodie ſpiritus ſancti ſollempnitatem* &c. *col.* 928. Atque hic *Bernardi* Sermones interrumpuntur.

VI.